



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ulrichi Hvtteni Eqvitis Germani Opera Poetica

Hutten, Ulrich von

[Frankfurt am Main], 1538

VD16 H 6395

Epistola Italiae, Ad Maximilianvm Cæsarem, Vlric. ab Hut. Eq. Ger. Autore.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13027

EPISTOLA

Itala quae acies, Latiumque exercet acumen,
Inuenias omnes hac utilitate minores.
Nunc quisquam innumeros etiam de paupere turba,
Exiguo parat ere libros, et munere nostro
Consequitur decus ingenij, paruoque labore
Omnia uel per se (quae longo addisceret usu,
Et uigili cura, somnoque carentibus horis)
Imbibit, hoc tantum est, ut quod nunc omnia plenis
Sunt congesta libris, ut quod nunc oppida doctos
Cuncta uiros referunt, quod nulla ita barbara tellus,
Quin aurum colat, et foecundis artibus ornet,
Solis deberi nobis, nemo neget usquam.
Esse rudes igitur quisquam nos dicat, et istam
Segniter aetatem duci, uel in oecia lapsos.
Dum sinat hanc nobis, ubi ademerit omnia, laudem,

EPISTOLA ITALIAE,

AD MAXIMILIANVM CAESAREM,
rem, Vlic. ab Hut. Eq. Ger. Autore.

ITALIA Maximiliano Principi.

Qua, si quando dabis, gaudebit et ipsa, salute
Accipis afflicta Caesar ab Italia,
Fama erat antiquo tua castra mouere Tridento,
Et iuga Rhoetorum, milite plena tuo.
Exilui, molita nouos de more triumphos,
Iamque adeo me cura hoc dulce sonabat lo.

Gum

ITALIAE.

Cum quidam extemplo, quiddam mihi tristius affert,
Te modo suspensis ausibus ire retro.

Turbavi mutata comas, posuique nitorem,
Ex male sperato moesta repeme bono.

Deposui digitis, abieci à uestibus aurum.
Et genui, & lachrymis immauere gene.

Forma tibi colitur, tibi nostra placere laborat,
Nunc latet, ac cepto te redit ille nitor.

Antè pater superùm Stygijs me admouerit umbris,
Fulmine turritum concutiatq; caput.

Quàm nisi te quisquam uideat gaudere recepto,
Squallor in aduentus hic manet usq; tuos.

Spes sedet hanc, per te cunctando restitui rem,
Quæ nunc fortuna concutiente labat.

Solor & ipsa meas deserta utrimq; ruinas,
Excusare tuas ingeniosa moras.

Et quoties sumptis, quisquam me inuaderet, armis,
Sub domino dixi uindice causa mea est.

Nec quòd uicta premor, ulro uictam esse putabis,
Omne reluctanti, quod fero, uenit onus.

Donec abes, donec sinor indefensa, tenebit
Inuitam, quisquis possidet Italiam.

Nec quid aget, blando qui me tibi detrahit ore,
Pollicitis partes allicit inq; suas.

Qui mihi grande decus, mihi qui promisit honorem,
Vnus honos, unum est, Caesaris esse, decus.

Meres pollicitis Venetorum ingentibus urget,
Tenuit nostram Gallia blanda fidem.

EPISTOLA

In medioq; mei quidam exhortatur, ut ausim
 Quam dare tu possis, uberiora sequi.
 Auerti, tenuiq; manum, pactumq; resugi,
 Dona q; contempsi, non habuiq; fidem.
 In te solas amor, in te mea sola uoluntas.
 Aut nunquam, aut per te libera terra mea est.
 Tu dominus, tua iussa sequar, te principe tollam
 Vt quondam, domitis regibus acre caput.
 Per te priscus honor, prisca ornamenta redibunt,
 Aut ego perpetua squallida sorde ferar.
 Aut tua lenta mora est, cessasque in uota tuorum,
 Qui spe, qui dubio consenuere metu.
 Interea nullis ego non obnoxia fati,
 Cuilibet audenti præda relicta petor.
 Ab sinis, unde tibi constat nomenq; decusq;
 Quemlibet iniecta contemerare manus
 In mea raptores grassantur uiscera Galli,
 Me lacerat Venetus, persequiturq; latro,
 Venit ab occiduo, qui me conuellat, Ibero,
 Nec pars Hispericæ est sub duce parua mei.
 Intranantur Danais nostræ prædonibus urbes,
 Appetor Illyrijs, Heluetioque fero.
 Nemo querit opes, quem non mea præmia pascant,
 Nec sapit hic, qui non Itala regna petit.
 Quid dicam euersas collapsis moenibus urbes?
 Quid memorem ferro plurima ex igne peti?
 Aut neglecta situ ueterum decora alta parentum?
 Dissimilis primum nunc ego facta mei.

Thusa

ITALIAE.

Tharsus opum uacua mercator regnat in urbe,
 Tota fluentino est prodita Roma dolo,
 Da ueniam, si liberius quid dixerò de te,
 Querere debueras ista, tenere negas.
 Si tamen instat adhuc istis digna ultio factis,
 Nec me perpetuò spernis, opemq; ferēs.
 Et si uel serò agnosces, studiòq; moraris,
 Sit leue uel tanta mœsta tulisse mora.
 Ne contemne modo, tulerim differre tot annos,
 Subtrahere indigno regna Latina iugo.
 Quæ ueniunt lentè, ueniunt tamen, omne rependēs
 Tristitiæ tempus lætior una dies.
 Sed nolis opus hinc differre in longus istud,
 Disperat, quisquis speret auctq; diu.
 Tu toties uictos in te consurgere Gallos,
 Tu finis hæc Venetos surripuisse tibi?
 Nec gentis uirtute tuæ, famaq; moueris,
 Quam memini Latios perimuisse patres?
 Quam pro me, ne sit Germania fortior in me,
 Hæc uenit auspicijs fama tuenda tuis.
 In me terribiles fecere ingentia Cymbri,
 Romula Teutonicus perculit arma furor.
 Tum ferus Arminius cæsis legionibus illis,
 Qua clade Ausonium terruit imperium?
 At tu bella moue, pro libertate tuorum.
 Et potes & debes hoc remouere iugum.
 Ducat in exemplum præclaris Carolus actus,
 In festum à nobis ille remouit onus.

EPISTOLA

Ducat in exemplum geminorum splendor Othonum,
 Reddidit in melius tempus uterq; suum.
 Seu cupias laudem, seu præmia digna laborum,
 Cum mihi subuenies, illud & illud erit.
 Ah quoties timui, cum res Germana placeret,
 Errares patriæ ne quid amore tue,
 Illius armorum uirtus, locupletior hæc est,
 Diuitiæ fortes hæc decuere uiros.
 Si quid ab antiquo repetis tamen, omnia quodam
 Deuici, indomitos supposuiq; iugo.
 Vlla nec Italica uictoria longus iuit,
 Gens tua nunc, olim maxima Roma fuit.
 Me Lybici sensere duces, ego Punica uici
 Regna, per Æthiopas arma tuliq; truces.
 Quantum Arabû, quantû est Ægypti, Marte subegi,
 Effera Parthorum me timuitq; domus.
 Pugnaces domui Thracas, fudiq; feroces
 Pannoniæ populos, horribilesque Gethas.
 Pugnavit quoties, toties mihi Gallia uicta est,
 Signa per Hispanos, per Siculosque tuli.
 Ausa Calydonios etiam superare Britannos,
 Inieci Occiduo claustra metumq; mari.
 Dalmata succubuit mihi, succubere rebelles
 Illyrij, Moesos edomuiq; feros.
 Audaces cessere Syri, quiq; eminus arcus
 Non modicos Persæ distribuere metus.
 Vici acres Macedum turmas, uici Ætica regna,
 Seruiuit Romæ Græcia uicta meæ.

Me

ITALIAE.

Medomita nouere Asia, tot regna, tot urbes
Sensere, & quem nunc omnia, Turca, timent,
Impressi tibi Ponte iugum, Colchosq; cecidi,
Pertulit impulsus Cassia porta meos,
Per Solymæ grassata urbem mea gloria gentis,
Nec mihi se rigidi non tribuere Scythæ.
Fregi acres Cymbrorum acies, & Teutonas armis,
Vis mea bellaces contudit Heluetios.
Nullus in orbe locus, qui me non nouerit, omni,
Nouit inaccessi est insula si qua maris.
Vna caput mundi meruit mea Roma uocari,
Non tuus hoc Rhenus ipse negare potest.
Et finis hæc, unde est tibi gloria tanta, perire?
Quin agis, & tua sum si qua, tenenda putas,
Non ego uel magni precium tibi uile laboris,
Non ego ero Marti causa pudenda tuo.
An quis mille rates pro coniuge ducit in armis,
Tu bello pulchram non petis Italiam?
Si quaerenda forem, poteras aliunde morari,
Nunc tibi, cum tua sim, prima tenenda fui.
Tu caput es Romæ, mundi caput illa uocatur,
Ah age, qui rerum es omnia uince caput.
Aut hoc si nimium est, saltem illud uince tuendo,
Quo nihil uberius maximus orbis habet.
Causa grauis belli, uictori maxima laus est,
Prædones Latio pellere ab imperio.
Romanum formare statum, uicisse superbos,
Et tandem Romam restituisse sibi.

EPISTOLA

Huc ades, & modico cape præmia summa labore.
 Dicam omnes uno te meruisse minus.
 Ausoniae lacerantur opes, decus omne Latini
 Nominis externo succubat opprobrio.
 Pulsa omnis Latio uirtus, sex ima resedit,
 Mente abiit quisquis liberiore fuit.
 Nuda uiris mecum pueros alo, quæq; supersunt
 Intactas Galli non uoluere nurus.
 Infertur teneris uis cottidiana puellis,
 Non mihi matronas nunc licet esse probas.
 Non sexus, non est cui seua pepercerit ætas
 Gallia, non ipsis abstinet illa deis.
 Obijce te rabido uirtute ultrice furori,
 Nil reliqui uictor iam facit iste mihi.
 Fœmineum miserare genus, puerosque deosq;
 Eripe, quod perdam, nil super ista manet.
 Serua aliquid, dum non perierunt omnia, ne cum
 Seruari cupies plurima, nulla queant.
 Maturasset opus casu Fridericus in isto,
 Cuncta repentina præcipitasset ope.
 Dum tamen ille studet uitiantes tollere morbos,
 Quàm uolui medicæ plus abiere manus.
 Rumpe moras, uenere dies, cunctarier ultra
 Qui prohibent, salua laude fideq; tua.
 Arma cape, indomitoq; tuas motu asserere laudes,
 Quid uorat Ausonias Gallicus hostis opes?
 Omnia uictoris mirantur pectora Galli,
 Hoc tu materiam laudis ab hoste pete.

IN ITALIAE.

Mæsta precor, genibusque tuis præsentia tendo
 Brachia, depuduit supplicis esse loco.
 Res tua cuncta perit, summis se admiscuit ima,
 Vergit in occasum, si qua suprema fuit.
 Non modus est, non est, qui debuit, ordo tuorum,
 Turbantur mixto fasq; nefasq; loco.
 Dilanior patrijs obnoxia facta Tyrannis.
 Ut taceam, externo qui cquid ab hoste tuli.
 Pastor eris, seruabis oues, purgabis ouile,
 Lustrabis quæ nunc illita sorde iacent.
 Ipsa pusillanimes Romæ ius dicere Scribas,
 Cum uideo, & nullo pectore vulgus iners,
 Quiq; sacerdotes titulo tenus omnia ducunt,
 Quiq; bibunt semper plurima, quiq; uorant,
 Molliculosq; homines, & inertis corde supinos,
 Quiq; ibi sunt, quorum facta referre pudet,
 Et pudet, & dicam, Pathicos regnare cynædos
 Cum uideo, Romam tunc pudet esse meam.
 Dii melius, quàm tu desperes ista iuuare,
 Sic cecidi, ut possem surgere lapsa tamen.
 Græde quidē uulnus, sed adhuc medicabile, nostrū est
 Nec leuis est, nec adhuc plaga recusat opem.
 Iam nisi tu redimas, nisi te duce libera restem,
 Tot ueniunt reges, qui facillē illud agent.
 Ne sine te uinci, ne quæ tua propria laus est,
 Hanc aliquem media præripuisse mora,
 Nec tibi Trinacrio sulcandos littore fluctus
 Præpono, aut dubias findere classe uias.

RESPONSORIA

Vt mihi me reddas, ut te in tua iura reducas.
 Quod facies, tua per regna tenebis iter.
 Omnis ab apposita tibi se manus adijcit Alpe.
 Maiorem uim, quo longus ibis, habes.
 Nec tantum aduersæ minuent tua robora pugna.
 Quantum acies subitis crescet ab auxilijs.
 Qui Venetas fugere manus, quos Gallia uicit.
 Et graue Thuscorum qui reuere iugum.
 Et fidei seruata tua, quæ se agmina nondum
 Hostis in aduersas explicuere manus.
 Qua non esse putas, effundent se arma uiriq;
 Excutiet latebras ira sepulta suas.
 Vt si nulla tuos Germania roboret ausus,
 Hæc tamen Ausonio milite bella geras.
 Omnis ab exulibus grauior uindicta, negabis
 Irasci Venetis te potuisse magis.
 Asperat offensas illata iniuria mentes,
 Cogitat ulcisci, quisquis acerba tulit.
 Laude tua facies alieno bella periclo,
 Quid dubitas spacio corripere arma breuis?
 Vt taceam, quantum est lucri certamine ab illo,
 Tam claro poteras Marte uouere mori.
 Te quisquam imbellem quoties de plebe uocabat,
 Ne caderem rupto pectore, cura fuit.
 Multa quoq; ulciscor, quæ tu conuitia nescis,
 Et quoties pro te quid licet, arma gero.
 Sed rusti in modicas aduersa potentia uires,
 Sæpeq; cum nolim, est ira premenda mihi.

ITALIAE.

Despiciunt Veneti ciues te, Gallia temnit,
Vix aliquid sperat, quisquis amicus adest.
Finguntur medijs in te omnia turpia scenis,
Contemptuq; carent nulla theatra tui.
Audiui, & puduit recitari carmina de te,
Et qui te ridet, ingeniosus is est.
Atq; aliquis medio iam sol ubi lucet olympos,
Accenso quærit lumine, Cæsar ubi est?
Quam fuit indignum, tibi non parere iubenti,
Tam tua maiestas læsa tuenda uenit.
Per genus egregium, clarisque insignia factis
Sceptra, per Austriacæ stemmata clara domus,
Per decus imperij, maiestatemq; uerendam,
Per qui te his rebus præposuere deos.
Perq; tui, iaceant quæ molliter, ossa parentis,
Per quæ te insomnem cura nepotis agit.
Rumpe moras oro, ser opem, rebusq; caducis
Auxilium præsta, suppetijsque leua.
Sic tibi quam serâ est, tam non elangueat ætas,
Sic superet clari Carolus acta patris.
Quæ iam planè omnem amisi uocemq; coloremq;
Absimilis non est cuius imago neci.
Quam casus minuere graues, quæ mortua credor,
Exurgam aduentu profiliamq; tuo.

**RESPONSORIA AD
ITALIAM MAXIMILIANI CAES.**
Autore Helio Eobano Hesso Germano.